

furentem quendam leonem, qui taurum arripuerat in ceruice, vidisse, versum autem ad viros Principes, quos habebat in comitatu, significasse opportunum se cedere, si capta à leone præda liberaretur. Audaciorres visa est quam ut ab illis susciperetur; sed Princeps inspectis sedulo omnibus in caveam se dedit, & gladium tenens in manu rectà petiit leonem, tantoque ictu feram percussit, ut caput precideret, simulque intra tauri collum altum infigeret vulnus.

Ad bestias damnatas quod attinet, alii nudi & inermes exponebantur; sicut etiam venatoriis retibus impliciti, quo à feris dicerentur. Alii ad mortem usque luctari cogebantur. Rarè tamen contingebat, ut spectatores vitam certantis precariò obtinerent. Factum id legitur cum Androclo, de quo Aulus Gellius l. 5. c. 14. cum enim ad bestias damnatus & in Amphitheatro expositus, irruentis leonis impetum sustinere cogere, agnitus à fera, è cuius pede spinam olim extraxerat, illam habuit & demulcentem, & aduersus alias immittas feras tuentem. Spectaculi huius novitate capti adstantes, Androclo vitam, leoni libertatem poposcunt.

Nec quacumque datà occasione spectacula illa dabantur; id erat enim speciale quoddam veluti munus ab Imperatoribus & Provincialium Præfectis populo concessum. Smyrnenfibus Civibus S. Polycarpum ad leonem poscentibus, respondit Proconsul, ne eorum votis annueret prohiberi se, quod dies spectaculis destinata transisset (f); & cum bestiis Lugdunenses Martyres exponendi essent, ejus generis spectaculum populo concedi oportuit. Non abs re itaque suspicamur, Ephesios po-

posuisse ad bestias Apostolum, quemadmodum & S. Polycarpum deinde repositum; nec impar fortè ratio utrumque virum à supplicio illo exemit.

Cum autem damnati ad supplicium Christiani non spectaculum tantum darent populo, sed & supplicium tanquam criminosis subirent, quò major spectaculum oculis terror exhiberetur, non producti tantum ad feras robusti, valentes corpore ac certaminis patientes iuvenes, sed & imbecilles senes ac foeminae; sicut etiam venatoriis retibus impliciti, quò defensionis ratio omnis penitus tolleretur, uti factum legitur cum S. Baldina, inter Lugdunenses Martyres inclytà (g). Alligabantur interdum palis seu ferinis pellibus infuebantur, ad urorum & leonum ferociam efferendam: ita Nero cum Christianis de incendio Romano à se accusatis, cujus tamen incendii ipse, non alius, fuerat author (h), sevit. Ad palum alligata S. Blandina feris voranda objecta fuit, antequam ad taurum venatoriis retibus implicita educeretur (i). Alia quædam ejus rei exempla suppeditat Justus Lipsius de *Cruce* l. 3. c. 21.

Ad S. Paulum quod attinet, expositum illum feris in theatro Ephesino ne ambigimus quidem, autamantes insuper, nunquam nisi Divino prodigio commissum fuisse, ut à presentissimo illo discrimine illæsus eriperetur; ita enim exponunt S. Chrysostomus & Theodoretus illud: *Secundum hominem*. Si quis autem à nobis querat prodigii huius rationem, ingenuè fatemur nec scire nos, & nobiscum homines æquè omnes ignorare. Quæ etenim ex Apocrypho Libro narrat Nicephorus, futiliora sunt, quam ut fidem mereantur; nihilque præterea certi ab antiquis servatum est.

DISSERTATIO DE PATRIARCHA HENOCH, FILIO JARED, ET PATRE MATHUSALÆ.

Patriarcha, de quo modò, alter est vir ab Henoch filio Cain (a), post decessum Abelis nato, de cuius nomine Cain conditam à se in regione septentrionali Urbem appellavit Henochiam. Vir est enim noster iste ætate recentior, è genere Seth, familie nempe iustorum, in qua sincerus Dei cultus, furculus; cum alter ex Cain ad familiam pertineret impiorum, avita referentem scelera, criminibus suis terram universam infectantem, ac deinde aquis diluvii exterminatam. Cum autem argumentum secundissimum traheamus, totam hanc Dissertatiorem in tres articulos distinguere

visum est. Agemus primò de vita Henoch; tum de ejus translatione; ac tandem de ejus in mundum regressu.

ARTICULUS PRIMUS.

De rebus gestis Henoch.

Henoch filius Jared, natus A. M. (b) 622. ante Ætam Vulgarem 3382. cum ætatis annum ageret 65. genuit Mathusalam (c) A. M. 687. ante Christum 3317. Septimus erat ab Adam, cujus ex patre in filium ducta genealogia ita retexitur: Adam, Seth, Henos, Cainan, Malaleel, Jared,

Jared, Henoch. Vitam egit in terra pro eorum temporum conditione brevem; translatus est enim à Deo ann. 365. ætatis (d) A. M. 987. ante Christum 3017. sed brevi hoc annorum periodo Sanctissimorum virtutes attingit universas, suoque demonstravit exemplo, Virtutem & pietatem fructus esse laboris, non senectutis. Ejus elogium paucis complectitur Sacra Scriptura, asserens (e) ambulasse illum cum Deo; quibus verbis insinuat totum se ad genium Altissimi virtutum exercitio elaborasse. Septuaginta reddunt: *Placuit Deo & Onkelos: Ambulavit cum Dei timore*. Quæ omnes loquendi phrasæ perinde valent ac aliæ in Sacra Scriptura: *Ambulare coram Domino: ambulare in visis Domini; ambulare secundum Spiritum: ambulare ad dexteram in veritate, in timore Domini &c.* id est iustitiam, pietatem colere.

Fuerunt tamen inter Rabbinos quidam, Henochum de hypocrisis & levitate in servitio Domini accusantes. Vir erat hypocrita, ait R. Ibbo (f), modò se tradens iustitiam, modò licentiæ; reputavit autem Dominus: *Educam ergo illum è mundo, quandiu iustus est*. Gemina fermè habet R. Salomon. Cum Henoch, ait ille, in cultu Domini nutaret, maturandum censuit Deus, è mundo illum educens, antequam impiorum consuetudine corrumperetur. Quòd autem in eam persuasionem veniret Rabbini, in causa facile est illud Genes. 5. 22. *Ambulavit Henoch cum Deo; sive illud: Ambulavit cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus*. Subdixit, ait Boulducus, ne pravorum Monachorum consortio vitaretur (g). Author enim ille opinio singularitate nunquam non se distinguens, persuasum habet, Henoch veluti disciplina correctorem & prædicatorem fuisse Monachorum Cinæorum, quorum erant Asceteria plura in mundo jam inde ante diluvium. Cum ergo Patriarcha ille annum 65. ætatis gegeret, & filium haberet Mathusalam, mundo valedicens, inter Cinæos sese adlegit, ac ambulans cum Deo, nempe Monasticam professus, Religionis exercitiis se totum ad-dixit, adscio tunc primum, uti facile credimus, nomine Henoch, quod reddidit, consecratus, devotus. Tunc Cainan & Enos, veluti duo Cinæorum & Enosiorum supremi Antistites, hominem destinant prædicationi apud Angelos obeunda, juxta ac docet S. Irenæus (h); quo nomen designantur Viri eximie pietatis, apud Moysen filii Dei (i), apud Septuaginta *Angeli Dei* appellati. Post actos in Religione 300. annos, Deus hominem ad se revocavit, raptum, uti Elias olim, in igneo curru cælitus demissus. Hæc Boulducus; nec ego adversus ejus systema quidquam.

Ad testimonium S. Irenæi quod attinet, animadvertendum arbitrator, S. Doctorem nequaquam illud inuissè, quod ejus Interpretibus plerique approbatur, sanctum hunc Patriarcham prædicationis munere functum apud homines è genere Seth, à Moyse filios Dei appellatos; eccui enim, si id tantum intendebat vir sanctus, ani-

madvertisse juvisset, Henochum merum hominem fuisse? Cum esset homo, legatione ad Angelos fungebatur. Angelorum ergo nomine designat S. Irenæus Vigiles illos, qui juxta Librum Apocryphum Henoch, quæ juxta amorem capti sese in homines mortales transformarunt, & maritali cum puellis illis commercio juncti genuerunt viros Gigantes. Apud istos Angelos Henoch legatione fungens, ad saniora revocare conatus est.

Damnata ex tunc ab Henoch Idola, & Idolorum cultores arbitratur Tertullianus (k); docet autem alibi de Henoch (l): *Sine dubio potuit Noe in prædicationis legatione successisse*. Et S. Judas ver. 14. 15. non obscure docuit, Henochum Prophetam seu concionatorem egisse, verba illa profertentem; *Ecce venit Dominus in Sanctis millibus suis, facere judicium contra omnes*, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impii egerunt, & de omnibus duris, quæ locuti sunt contra Deum peccatores impii. Ultionis ergo Divina metu & Angelos & homines ætatis suæ terruit Henochus, quò tandem à criminibus suis & impietatibus illos revocaret. His omnibus lux affunditur textui S. Irenæi.

Laudes Henochi non unus tantum inter Authores Sacros Moytes prosequitur. S. Paulus ad Hebræos 11. 5. *Fide Henoch translatus est, ne videret mortem; ante translationem testimonium habuit placuisse Deo*. Author Ecclesiastici 44. 16. *Henoch placuit Deo, & translatus est in Paradisum, ut det gentibus penitentiam; & cap. 49. 16. Nemo natus est in terra qualis Henoch; nam & ipse receptus est à terra*. Hunc tandem virum spectasse videtur Author Sapientie illis verbis 4. 10. *Placens Deo factus est dilectus, & vivens inter peccatores translatus est. Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne scilicet reciperet animam illius. . . Consummatus in brevi explevit tempora multa: placuit enim erat Deo anima illius; propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum*. Hic & ubique Author constituit iustum, de quo agit, è mundo per mortem translatus, quòd sanè alienum est ab Henoch, juxta ac plerique ex Patribus & Interpretibus observant; reputari tamen possent, Sacrum hunc Authorem de industria confudisse characteres viri iusti cum Henoch, absque eo quòd tamen aliquid de obitu Henoch assereret; quanquam certum constitueret, virum iustum antea è vita per mortem translatus, quam in mundo ad sentium pertingeret.

Liber Constitutionum Apostolorum 1.8. c. 5. Henochum refert inter Patriarchas, à Deo in ipso mundi exordio docendo populo suo constitutos; cui pariter Authori assignant Hebræi formulam majoris excommunicationis, qua nunc etiam utuntur (m); non interrupta enim serie ex patre in filium adusque ferros nepotes transmissam affirmant. Extat apud Seldenum formula illa (n), prolixa utique, & multa ferens Henoch ætate posteriora. Quid enim cum illa

k De Idololat. c. 4.
l De cultu fæmin. l. 1. c. 3.

m Jo. Colerus Vita Spinoza pag. 31.
n De jure Nat. & Gent. l. 4. c. 7. ex lib. Colbo pag. 144.

f Euseb. Hist. Eccl. l. 4. c. 15.

g Euseb. Hist. Eccl. l. 5. c. 1.

h Tacit. Annal. l. 15. c. 44.

i Euseb. loc. cit.

f In Berschib. Rabba.

g Boulduc. Eccl. ante Legem l. 1. c. 14.

h Iren. l. 4. c. 30. Henoch placuit Deo, cum esset homo, Dei legatione apud Angelos fungebatur. i Genes. 6. 4.

b Genes. 5. 18.

c Genes. 5. 21.

illâ nomina Moysis, Josue, Elisei, Giezi, Barach, Meroz? quid mentio magna Synagoga, Angelorum singulis anni mensibus presidentium, Librorum Legis, in quibus 613. præcepta & Angelorum quorum ignota in Scripturâ nomina? Frequenter etiam ad Libros ipsi Moysi posteriores alluditur. Quibus omnibus docemur, formulam illam, qualis saltem nunc extat, alium referre ab Henocho Authorem. Facile tamen adscribendum viro censuerunt, quod exercuisse crederetur munus Sacerdotis Altissimi, & Principis totius Sacerdotis Justorum ante diluivium.

Licet autem vir iste in eo vitæ statu modò constituitur, ut neque è justitia possit decedere, neque admittendi criminis facultatem habeat expeditam, quam nos libertatem nostro malo obtinemus (o); publicum tamen illi cultum, quemadmodum & Eliæ, deferre opportunum non duxit. Legitur quidem ejus nomen in Calendario ad diem 3. Januarii; datum id tamen ad honorem translationis potius, quam ad cultum aliquem religiosum arbitramur. Ferunt apud Christianos Æthiopes festum quoddam ejus viri celebrari, quod Sabbathum Henoch appellant, veluti sive speciali honore prosequi se ostenderent septimam hominum generationem; quemadmodum non dissimili exemplo Judæi septimam à creatione diem consecraverunt.

Nec Paganos latuisse prorsus vir tantus, ejusque in pietatem studium videtur. Narrant enim, agente adhuc in vivis Annaco, qui vitam ultra 300. annos prorogavit, consultum ab Iconiis aliisque finitimis gentibus Oraculum respondisse, futurum ut omnes morerentur, ex quo vita cedere Annacum contigisset. Ingens inde in omnes confertatio, & ejulatus, ut in proverbium abiit pro ingenti aliquo luctu exprimendo: *Lugere Annacum*. Post ejus obitum, Deucalionis diluivium regionem universam inundavit, ex quo Oraculi fides liberata est. Emicat per oppansum huius fabellæ velum lux aliqua veritatis, nempe 1. nomen Henoch, vel Hanoeh, juxta Hebraicam prononciationem. 2. Eius ætas ultra 300. annos. 3. Diluivium universale, quod sub Noe nepotis illius filio contigit.

Alii tamen originem illius proverbii, *Lugere Annacum*, sive *Nannacum*, seu *Canacum*, aliunde referunt. Vetus erat Phrygiæ Rex Chanacus, qui imminere diluivium intelligens, populum in Templum coegit, ut Numinum à se iram averteret (p). Tam calidis illi precibus lacrymisque Deos fatigarunt, ut locum proverbio illi facerent: sed vicit ira misericordiam; quare superveniente diluivio, omnes inundantibus aquis submersi sunt.

p Vide Suidam in Nannaco, & Hermodog. in Ebrvgiis.

ARTICULUS II.

Translatio Henoch,

Verba, quibus translatum è mundo Henoch Moyses expressit, pluribus questionibus locum fecerunt. Quæsitum est, an re ipsa obierit, vel maneat adhuc superstes; an in mundo sit, vel extra mundum; an æternâ beatitudine seu tranquillâ tantum pace fruatur, certum futuræ mortis tempus expectans, ut deinde æternâ beatitudine donetur. Hæc tantum Moyses de illo Genesis 5. 24. *Ambulavit cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus*. In examen hic revocandum est, an postremis hæc verbis prodigio quodam translatus, uti Elias, vel tantum è mundo per mortem sublatus designetur. En rationes, quibus insinuari obitus videtur.

I. Non dissimili loquendi phrasi mortem exprimit Scriptura. Ita Elias ad Dominum 3. Reg. 19. 4. *Tolle animam meam: sufficit mihi Domine; neque enim melior sum, quam Patres mei*. Porro vir Sanctus nil nisi mortem, quemadmodum & Patres sui, optabat: *Petivit anima sua, ut moreretur*. Job 22. 16. de iis, qui acerbo erepti sunt fato, habet: *Qui sublati sunt ante tempus*. Et cap. 32. 22. *Nescio quandiu subsistam, & si post modicum tollat me factor meus*. Jesus filius Sirach Eccli. 19. 3. *Tolleretur de numero anima ejus (9)*. Psalmista Ps. 48. 16. *Deus redimet animam meam de domo Inferi, cum acceperit me &c.*

Et Ps. 30. 14. *Accipere animam meam consiliati sunt*. Ps. 72. 24. *In voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me*. Apud Ezechielem 24. 16. Dominus habet: *Ego tollo à te desiderabile oculorum tuorum in plaga, (nempe uxorem tuam) & non planges neque plorabis*. Et 30. 4. *Venerit gladius in Ægyptum, cum ablata fuerit multitudo illius*. Et 33. 4. *Venerit gladius, & tulerit eum*. Jonas 4. 3. *Domine, tolle quæso animam meam à me*. In omnibus hæc textibus eadem in Originali vox recurrit, qua Moyses translationem Henoch expressit; intelligimus autem phrasibus illis, tollere aliquem, tollere animam ab aliquo idem designare, ac è vita per mortem in alteram transferre. Verba illa, *Non apparuit*, sive juxta Hebraum, *Non fuit*, vel *non fuit ultra*, non dissimilem sensum ferunt in pluribus Scripturæ locis, uti Genesis 37. 30. *Puer non compareret, & ego quò ibo?* Et cap. 42. 13. *Alius non est super*. Et ibidem vers. 36. *Joseph non est super, Simon tenetur in vinculis*. Job 7. 8. 21. *Oculi tui in me, & non subsistam... si mane me quæseris, non subsistam*. Et 24. 24. *Elevati sunt ad modicum, & non subsistent*. Et 27. 19. *Dives cum dormierit, nihil secum auferet*. Ps. 36. 10. *Adhuc pusillum, & non eris peccator; & quæres locum ejus & non invenies*. Ps. 36. 37. *Transivi, & ecce non erat*. Soadias Author Versionis Arabicæ reddit: *Henoch defunctus est*.

q Deest locus iste in Græco.

est, Deus recepit illum ad se. Cum ergo phrasibus illis naturalis hominis mors frequentissime designetur, quòd à Moysè translatio quædam prodigiosa exprimitur, ut credamus nihil est.

r 4. Reg. 2. 3. 5. 9.

2. Fatemur quidem, in referenda Eliæ translatione eodem verbo uti Sacrum Scriptorem (r): *Filii Prophetarum dixerunt ad Eliseum: Numquid non nosti, quia hodie Dominus tollet Dominum tuum, à te?* Elias ad Eliseum: *Postula quid vis ut faciam tibi, antequam tollar à te... Si videris me, quando tollar à te, erit tibi quod petisti*. Sed hæc verba nullam sanè ideam ingerent novæ cujusdam translationis, sin minus circumstantiis aliquibus in Historia expressis juvantur. Ita prodigiosam translationem satis insinuat, quòd Propheta translato antea Divinitus cæteris aliis Prophetis innotuisset, quàm Dominus Prophetam illum superflitem elevaturus venisset. Elias verò cum ascenderet, ex humeris pallium suum demisit; filii Prophetarum præceptorem suum querere volebant, dubitantes ne fortè Divino Spiritu raptus Propheta in deserto quodam loco maneret; sed frustra illi, contra Elisei monitum, agentes. Raptum ergo Prophetam fuisse nemo unum dubitat; sed nihil simile in relatione Moysis de Henoch.

De translatione prodigiosa Henoch minime persuasus videtur Author Libri Sapientie; habet enim cap. 4. 10. *Placens Deo factus est dilectus, & vivens inter peccatores translatus est*. Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne filio deiperet animam illius... Consummatus in brevi explevit tempora multa... Condemnat autem justus mortuus vivos impios... Videbunt finem sapientis, & non intelligent quid cogitaverit de illo Dominus. Quadrant hæc profectò cum Henoch, & Moysis textum præ oculis habuisse Scriptorem videtur illis verbis: *Placens Deo factus est dilectus, & vivens inter peccatores translatus est*.

Luculentius etiam obitum Henoch exprimit Jesus filius Sirach author Ecclesiæ cap. 44. 16. *Henoch placuit Deo, & translatus est in Paradisum, ut det gentibus penitentiam*. Deest quidem in Græco illud in Paradisum: sed cum Ecclesiæ autoritas Latinam Versionem consecraverit, additamentum illud in Vulgatâ nostrâ servatum recepisse pariter censenda est. Ex quo etiam constat, Ecclesiæ autoritate non parum momenti ad sententiam de obitu Henoch confirmandam accessisse. Etenim Paradisi singulari nomine designari certum est Cælum, Justorum destinatum post obitum sedem. Ita Jesus ad probum Latronem: *Hodie mecum eris in Paradiso* [s]; & Apostolus 2. Cor. 12. 4. de se testatur, *Raptus fuisse in Paradisum*; ac in Apocalypsi 2. 7. Jesus pollicetur: *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in Paradiso Dei mei*. Quando verò de Paradiso terrestri sermo est, tunc plerumque nomen Paradisi aliud quid adjicitur ut significatio ex alio ad alium sensum transferatur.

s Luc. 23. 43.

Patres etiam nonnulli sub verborum, saltem ambagibus eandem de obitu viri sententiam insinuarunt. S. Ambrosius translatum dicit ab illo thesaurum suum in Cælum, ac de ipso usurpat illud Sapientie: *Raptus est, ne cor ejus malitia mutaret* (t). Pseudo-Clemens in Libro Recognitionum l. 4. n. 12. tenet, Deum charum sibi virum ad immortales transluisse. S. Cyprianus in Tractatu de Mortalitate habet, virum hunc probum singulari privilegio è contagione hujus Mundi subdici meruisse; ac Salomonem in Justorum interitu, quasi de singulari Dei beneficio. S. Hieronymus (u) docet pariter, translatum illum in Cælum, cælesti pane nutiri; & in Amos 9. ascendisse scribit in Cælum cum Jesu Christo.

S. Athanasius translatum asserit in Paradisum (x); & Rabbinus (y) Mosaicum illum textum de translatione per obitum interpretantur. Illos sequitur Calvinus, S. Cyprianus, S. Ambrosius, aliique nonnulli Interpretes Catholici, ut Janfenius, Menochius, Mariana. Volunt alii, Authorem Sapientie agere de Henoch, vel saltem ejus historiam verbis suis spectare, cum scilicet obitum Justo præcoem describit. Hæc majoris momenti rationes pro obitu Justo.

Quæ verò pro ejus translatione afferuntur rationum momenta, nihil prioribus illis concedunt. Fateor equidem, Mosaicum illum textum non necessariò prorsus exigere, ut de viro superflite adhuc, sive in Cælum, sive in alium quemcumque locum mortalibus invium translato explicetur; si quis tamen conferat ea, quæ de Henoch habet Sacer Historicus, cum iis, quæ de cæteris Patriarchis scribit, satis inde colligimus, è mundo digrediendi aliam planè fuisse viro huic quàm cæteris aliis rationem. Primò observat, virum illum actionum suarum merito Dei in se favorem conciliasse; intulit subinde: *Tulit eum Deus*; & cum verba illa non satis aperta esse intelligeret, adjecit: *Et non apparuit* quibus profectò insinuetur, superflitem illum adhuc in loco extra mundum versari.

Plus autem postremæ huic sententiæ quàm priori illi favere videtur Siracides, sive ejus Textum cum additamento Vulgatæ legamus, sive Græca veritas præferatur. Voces illæ, quibus exitum ejus de mundo describit, eandem habent vim ac aliæ apud Moysen; quibus profectò aliquid aliud plerumque insinuat, quàm communis mortalium interitus. Additamentum illud, in Paradisum, duo significare potest; sive Cælum, justorum hominum post obitum sedem destinatum; sive Paradisum terrestrem: quo posteriori sensu admisso, vitam pariter agere Henochum admittamus oportet: neque enim terrestri Paradiso locus est Sanctorum post decessum. Ad priorem illum sensum quod attinet, nequaquam incongruum reputarunt Veteres Patres, ut Henochum, & Eliam in Cælo reipla versari, etiam admisâ Ecclesiæ sententia.

t Ambros. Epist. Class. 1. Ep. 38. n. 7. Dives Henoch, qui quod habuit secum translavit, & omnem illum bonitatis suæ censuram cælestibus intulit receptaculis u Ad Pammach. Ep. 61. pag. 184. antiq. edit. x Athan. l. 2. pag. 693. orat. de Patriarch. & Prophet. y Abenezra Salom. Jarobi, & alii apud Menasse Ben-Israel, lib. de fragilibus human. sect. 12. art. 7.